





1792  
Fr. 11. num. 23.


1792 3<sup>a</sup>

DE

# HOMICIDIO EX VITAE TAEDIO

AD

OPPETENDAM MORTEM COMMISSO  
NON MORTIS POENA  
SED PERPETVIS CARCERIBVS PVNIENDO  
BREVIS COMMENTATIO.



J. 439  
GVSTAVPH C. FRICO  
QVAM  
AVCTORITATE  
EXCELLENTISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
P R A E S I D E  
IOAN. MELCH. GOTTLIEB BESEKE


IVR. VTR. AC PHILOSOPH. DOCTORE

ET REG. SOC. VIADR. SODALI  
DIE XXXI. OCTOBR. MDCCCLXXII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT  
AVCTOR  
BERNARDVS THEOPH. AB ENCKEVORT  
EQVES - POMERANVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
STANNO FRIDERICI AVGUSTI GRVNERTI.



HOMICIDIO EX ALTE TAFELIO

ORPHELINUS MORTIS POENIA

NON MORTIS POENIA

SEI HERBETATIS CARRERIAS RUMINANDO

BREVIS COMMUNITATIS

ETATUM

ACCOLITATE

THOUGHTS OF PHILOSOPHY IN ORDINARY

PRAESIDE

JOAN MILICH COTTWEIL BESEKE

VAR AT THE PHILOSOPHY SOCIETY

IN THE 20TH OCTOBER MDCCCLXXII

BY AGASSIS HARDIGORAN EXAMINI SABRICII

AVG 90

DURWARDAS THORPH. AC LINCOLNÆORT

EGRES-SOMMERTVS

HAFSE WEDDINGE

STYNO-LIPPERI VACANT GRANITI

OMIT LVSTRISSIMO PAR

AC

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

GVSTAPHO HENRICO

AB ENCKEVORT

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS  
REGIMINIS IN DVCATV POMERANO

PRAESIDI

DYNASTAE IN HOHEN-ZIETHEN, DERTZOW

MARIENWÉRDER, GARTZ, ROSENFELD

PLOENTZIG ET DOBBERPHVL

R E L I Q V A

BRNNDAS TINTONI

PARENTI SVO OPTIMO

HANC DISSERTATIONEM

STUDIORVM SVORVM

QVALECVNQUE SIT

SPECIMEN

QVA DECET PIETATE

ET


QVA PAR EST ANIMI REVERENTIA

CONSECRAT

FILIVS EIVS AD CINERES VSQVE

OBSSEQVIOSISSIMVS

BERNARDVS THEOPH. AB ENCKEVORT.



§. I.  
*Instituti ratio.*

 Praeclare praecipiunt, qui, optimi cuiusque esse legislatoris, affirmant, id potissimum agere, ut summa in puniendo seruetur iustitia et poenae cum delicto proportio. Ille enim bonum publicum ante omnia promouere tenetur, eaque adhibere media, quibus ciuium actiones coerceri, ac prohiberi possint, ne publica securitas atque salus detrimentum capiat. Quibus mediis omnino poenas adscribendas esse, puto, non ob delinquentem ipsumque solum, sed etiam, in quo maxima certnitur sapientia diuinaque virtus, ob ceteros commilitones, ut hi

A

nem-

nempe deterreantur a committendo eodem maleficio. Finis enim poenarum, quae in societate ciuili infligi solent, duplex est, quem obseruari studiosissime, salus publica iubet. Neque etiam minus spectari debet ipsum poenae genus, quod pro indolis suae diuersitate, diuersa quoque efficit, mox ex gentium moribus ingenioque, mox ex illarum praecognitis opinionibus, mox ex frequentia huius illiusue delicti determinandum. Nolumus autem nunc principia omnia tradere, quae vel poenas concernunt, vel alio modo principis curam in puniendo determinant, sed potius mens nobis est, ut ea breuibus edoceamus, quae in puniendo homicidio, ad mortem appetendam ex vitaq[ue] taedio commissas obseruavimus. Quo maius ergitur periculum illud est, quod ex hoc, plerisque ob superstitionem religionem commisso, atrocissimo delicto ceteris imminet, eo seuerius in delinquentes animadveri, et ad securitatem aptiorem poenam eligi, curare debent superiores. Atque hanc quidem ob causam, proposuimus nobis inquirere in iustitiam poenae capitalis, quae homicidis eiusmodi indistincte quandoque infligi solet, et ostendamus aliam plane poenam, ac solet, esse statuendam.

A

§. II.

*LL. Criminalium sanctio.*

Antequam autem omnia, quae dicenda erunt, ex ipsis fontibus, iure sociali et ciuili vniuersali, hauriamus, liceat percurrere, quae legum posituarum hac in re sit sanctio, et DD. opinio. Quod prius absolute in C. C. C. art 137 constituitur

„syn jeder Mörder oder Todtschläger, wo er deshalb nit rechtmeßig entschuldigung anfiren kan, bat das Leben verwirkt.“

Tam generaliter de homicidii poena sanctum est, vt nulla exceptio in homicidio, ob vitae taedium commisso, fiat, nec, si stricte interpretari volumus, admitti possit; attamen nullo modo negari potest, ob circumstantias legumque rationes alia esse statuenda, et publicae saluti conuentiora. Quod ut faciamus, videamus prius, quid DD. Carolinae sanctionis interpres proferant. Inter eos potissimum b. BOEHMERVS in Meditationibus in C. C. C. ad art. 137. §. 23 mitiorem poenam statuendam esse, censet, ob impotentiam animi, et loco curifragii, gladii poenam non immerito infligendam esse, prescribit. Videamus ipsis verba;

„Pla-

8

---

„Placuit nonnullis etiam eos huc referre, qui vitae pertaes,  
 „ex mera desperatione proxime occurrentem opprimunt, ideo  
 „quod nemo ab his sibi cauere possit. Fateor, insidias et ani-  
 „mum directum semper in hos cadere, sed impotentia animi,  
 „quam desperatio producit, suader, ut multum imputationi et  
 „spontaneitati detrahatur et dandum aliquid sit erumpenti for-  
 „tiori inclinationi, quae, etsi in se vitiola sit, tantae efficacie ta-  
 „men est, ut quasi inuitum trahat, ac propellat ad exitium, contra,  
 „alia ratio sit eorum, qui cum plena voluntatis libertate in scelus  
 „hoc ruunt, et sic ex nulla parte speciem excusationis allegare  
 „possunt. Vnde illi quidem non immerito gladii poenam: hi  
 „vero crurifragium subeunt.  
 Pari modo consentit in mitiore poenam KRESSIVS in  
 Comment. ad C. C. C. §. II. no. 3. Statuit enim, illos, qui homi-  
 cidiū ex vitae taedio ad oppetendam mortem committunt,  
 non esse, *solche mutwillige Mörder*, in quos Carolus rota  
 animaduertit. Hinc gladii poenam decerni satis esse, videtur  
 KRESSIO. Attamen nec BOEHMERO nec KRESSIO assentire  
 ex iustis ac euidentissimis rationibus possumus, qui quidem  
 poenam capitalem non plane improbamus, sed in hoc solum-

modo

modo delicto maxime incongruam arbitramur. Videamus, quomodo iprobemus.


§. III.

*Poenae constitutuum.*

Non est, quod pluribus in definienda poena versemur, cuius constitutuum esse, omnes consentiunt, continere *malum* aliud quod *passio*nis. Malum istud, ut imperfetio cogitari debet, quae vel positiva vel priuaria est, h. e. vel defectus perfectionis vel existentia imperfectionis, quae vel animum, vel corpus, vel statum externum afficit. Iam vero, in quo pluribus hominis partibus haec imperfetio ponitur, eo maior est poena. Sequitur inde, mortis poenam omnium grauissimam esse, cum ea scilicet et animum et corpus et statum simul summo gradu afficiat; sublata enim existentia tollitur fundamentum, siue si maius tollitur subiectum, cui inexistere possunt perfectiones. Recte inde concludunt, qui, quo atrocius sit delictum et ceteris periculoſius, eo maiorem esse debere poenam, contendunt, applicantque hoc ad homicidium absque villa laſione praecedente alterius, ex solo vita sua taedio, commiſſum. Nihil habemus, quod contra ipsam

B

capitis



capitis poenam moneamus; si autem finem infligendae poenae,  
ad quem semper respicere debet, tum laesus, tum cui alio modo  
inde dumnum imminet, consideramus, multa sunt notata  
dignissima.

§. IV.

*Finis poenarum*

Poenarum in genere modo unicus, modo duplex potest  
esse finis, pro diversitate scilicet eius, qui punit, non qui pu-  
nitur. In reo, in quem malo affiendo animaduertitur, suffi-  
cit finis, vt in posterum a committendo eodem alioue crimine  
desistat h. e. vt emendetur, atque hunc quidem finem in poenis  
priuatis potissimum cerni, nemo est, qui nesciat. Longe alia  
vero ratio puniendi est in delictis publicis h. e. qui statui ciuili  
direkte damnum inferunt, poena publica quoque coercendis,  
in quibus scilicet tum ad delinquentem, tum ad ceteros cives  
respici debet. In his enim omnia fere se referunt ad punien-  
tem, vt nempe non solum delinquentem corrigat, sed potius,  
vt se ipsum aliasque securos reddat contra mala imminen-  
tia, tum praesentia, tum futura.

§. V.

## §. V.

*Finis poenae capitalis,*

Quodsi principia haec ad capitisi poenam applicare volueris, nullum finem in ipso puniendo videbis, nisi vt physica facultas aliis in posterum nocendi adimatur, in ceteris vero, qui physice adhuc eodem modo nocere possunt, ut deterreantur, ob metum grauissimae poenae, qualis est capitisi. Quod priorem finem attinet, quilibet libenter concedet, illum etiam aliis mediis e. g. perpetua incarceratione obtineri posse, nec opus esse intuitu puniendi mortis poena; quoad posteriorem vero recte habes formatas regulas illas tritissimas: *quo quis peccat, eodem ille punitur; quo atrocius delictum, et quo maius damnum imminens veretur, eo grauior poena esse debet, ac duiror.* Inuenies itaque hac ratione proportionem recte institutam et iustitiam, nec primo intuitu errare videntur statuentes indistincte, homicidium poena mortis esse puniendum; sed tamen ob alias rationes easdemque grauiores, videamus, quae sint reiicienda.



## §. VI.

Mortis poena recte quidem homicidii poena statuitur, sed non ob quaevis  
aliorum delicta, quae capitalia mutuari solent. Quo pertinet homi-  
cidiu[m] mil[ia] d[omi]ni ex vita[re] taedio commissum, quia  
d[omi]ni m[od]estus imp[er]ator ratione delinquentis est incongruum.  
Concedamus aptissimam capitis poenae cum homicidio ex  
vitae taedio commisso esse proportionem, largiamur iustitiam  
maximam, nihilominus capitis poena in eiusmodi delicto proprio  
suo fine destituitur, cum intuitu ipsius delinquentis, cum intuitu  
reliquorum ceterum in quorum exemplum puniendus est. Primo  
de delinquenti, et certum est, malum, quod infligitur ei, qui  
illud non tamquam malum cogitat, nullo modo esse poenam;  
quid imo quicunque bonum sibi representavit, ad quod obtainendum  
delictum capitale medium maxime congruum esse, arbitratus est.  
Quid inde? mortis poena intuitu homicidae ex vitae taedio, non  
erit poena; sed potius obtainio finis, quem appetebat. Non  
enim omnes iisdem reguntur opinionibus, unde saepissime acci-  
dere solet, ut hic sibi bonum cogitet, quod alteri malum est.  
Quod reliquum vero est, nullo modo etiam in genere dici posse,  
credo, mortis poenam intuitu delinquentis esse poenam, cum  
malum,

malum, ad quod percipiendum sensus deficiunt, ut malum cogitari nequit, nec sublata existentia amplius quid in morte puniatur efficere potest. Vnde recte illi docent, qui admisso discrimine inter poenam realem et idealem, mortem poenam realem quidem esse statuunt, negant vero idealem.

Hac ex ratione, si de fine mortis poenae intuitu delinquentis loquelas, recte in *Russia* poenae capitales sublatae sunt, et *Beccaria* in tr. *Von den Verbrechen und Strafen* § 26. mortis poenas reprobant, attamen, quia non unicus hic finis attenditur, qui in puniendo positus est, non probare hoc possumus. Quod *Beccariae* argumentum vero attinet, hoc potissimum in eo est, quod nemo in ciuitate ius habeat, de vita alterius disponendi. Recte hoc, directe scilicet nemo illud ius habere et exercere potest, sed per indirectum ex obligatione ad finem, sequitur obligatio ad media sufficiencia. Si per male facta mea ceteris imminent idem simileue damnum, necesse est, ut hi carent, quo se tutos reddere possint, et ob hunc finem maxima quaque licita et sunt, et debent.

§. VII.

*neque minus ratione reliquorum maleolorum*

Deinde etiam probare possumus intuitu reliquorum ciuium hanc mortis poenam nullum habere finem. Quid enim? poena

quae ad exemplum infligitur, nec tamen poena est intuitu eorum, qui eodem modo aliquando delinquere possunt, nullos haber effe-ctus. Idem scilicet, qui simile delictum committunt h. e. homi-cidae ex vitae taedio alterius interfectionem ut medium ad sui interfectionem cogitant, vnde sequitur, multum abesse, ut dete-reantur, ut potius inuitentur ad delinquendum, quia medium magis congruum inuenire non possunt. Quapropter valde ab-sonum mihi esse videtur, illi ipsi media porrigere, ut finem conseqüatur, quem prohiberi, salus publica iubet.

### §. VIII.

*Dubia, quae ob ante dicta moueri possunt et quidem primum ex S. S. defundum.*

Plurima nobis obiici possunt dubia, quorum duo tantummodo digna habemus, ut ad ea respondeamus. Primum quidem est; quod diversis in locis S. S. ob interfectionem hominis mortis poena dictetur, quo potissimum pertinent, Exod. XXI. v. 12. Gen. IX. v. 6. Sed ex omnibus locis his luculenter appetat, hanc poenam secundum diuinam intentionem solummodo esse politicam, ob statum societatis civilis et securitatem pu-blicam necessariam, quod potissimum ex Exod. XXI. v. 20. seq.

patet

patet, vbi nonnulli a mortis poena, licet ob dolosam interfectio-  
nem liberantur, quod fieri nullo modo ab eodem summo legis-  
latore Deo potuisse, si de qualibet interfectione in quolibet  
statu fuisset fanticum. Neque etiam vlo modo ex natura et in-  
dole ipsius huius delicti demonstrare quisquam poterit, consesta-  
rium necessarium hoc esse, vt delinquens morte puniatur, aut  
absolute sine vlla restrictione non pro diuersitate circumstantia-  
rum queat alia poena admitti. Quid? quod, omnes poenae,  
quarum ratio potissimum in bonitate cum sapientia administrata  
ponitur, tanquam media ad finem considerandae sunt, et ex hoc fa-  
cillime sequitur, illas etiam pro fine isto derminandas esse. Eo.  
dem modo Deus agit et aget.

§. IX.

*Alterum ex regulis iustitiae desumtum.*  
Alterum, quod accurrere potest dubium, est, quod contra  
regulam iustitiae offendamus, quo scilicet atrocius delictum, eo  
maiorem esse debere poenam; ideoque interfectionem hominis  
non maiori poena puniri posse, quam delinquentis occisione. Sed  
tamen regula ista sapienter facta, hoc in casu nullo modo appli-  
cari potest. Poena enim, quae intuitu delinquentis poena non

est,

est, neque maior esse, neque cum poenis aliis generis compari potest. Sequitur inde, ut, salua ista generi humano salutari regula, aliud excogitetur, quod poena in dato casu sit, et quantitatem comparationemque admittat. Iam satis de inconvenientia mortis poenae ob delictum, de quo agimus, dictum videtur; necesse itaque est, ut principia eruamus, quibus sententia nostra fundari possit ac niti. *ab origine non existet alii nisi ex iusdicto  
et ex poena* §. X. *inimica secundum illa invenimus*  
*Verum poenarum, quae ciuitatem securitatem turbant, fundamentum ex*  
*relatione mediorum ad finem obtinendum.* *Et*  
 Diximus iam ante, poenarum finem in societate ciuiti, qua tali infligendarum praecipuum hunc esse, ut ceteri cives maleuli a committendo eodem delicto deterreantur, cui nunc addere volumus alium, qui est, ut et reliqui omnes a metu, ob quem tamen ciuitatem ingressi sunt, liberentur, pidoque, ut securitas interna tueatur. Securitas ista, quae ut status, in quo nulla mala imminent, cogitari solet, ut finis spectatur, ad quem obtainendum tum ciuium actiones dirigi, tum etiam eorum facta, quae illum ipsum destruere possunt, quibuscumque mediis coerciri debent. Iam vero media haec non necessario ut poenae cogi-


cogitantur, sed fieri potest, ut securitas a maleuolo laesā aliis mediis obtineatur, sociisque tuti fiant, absque ullo malo, quo delinquens afficiatur, modo sufficiente, ne conatus laedendi existat, aut si adsit, ne noceat. Non itaque omnia ciuium sociorumque delicta necessario puniri debent, sed quibuscumque aliis mediis sufficientibus coercere potest magistratus. Nullo vero modo vereor, ne sint, qui existimant, me aut omnes poenas sustulendas velle, aut mitius, ac debet, in delinquentem animaduertendum esse. Impugnare solummodo volo pruritum istum pinniendi, quo plurimos nostratum laborare video, absque villa ratione. Quaero enim ex te, utrumne eodem modo sapiens iustusque pronunciari possit superior, qui facultatem nocendi amplius delinquenti adimat, sublata occasione laedendi, aut in ipso delinquenti, aut in aliis laesiorum rebus circumstantibus, ac si, qui generalem, ut dicunt, iustitiae normam strictissime obseruans rigorose animaduertit in eos, qui maleficiis intulerunt laesio- nem? Non quidem haec omnia, ut breuibus dicta sunt, ad nostrum institutum applicari possunt; sed tamen praemittenda erant, ut faciliori modo nunc sequentia intelligi determinarique possint.

Sunt iudicandae binae, duas correctas et diligenter liberas esse.

C. Cor-

C

§. XI.




¶. XI. Autem ne sit puniatur  
ob cap. Inde poena homicidii, ex vitae taedio commissi, indicatus. aut  
ad illud. Iam quaeritur, quaenam poena, ob homicidium ex vitae  
taedio ad oppetendam morrem commissum statuenda sit, aut ut  
nóstro more loquamur, quodnam medium tanquam sufficiens,  
adhiberi debeat, quo cessent in posterum in ciuitate eiusmodi de-  
lictia? Absolum esset, ob quodlibet delictum poenam requirere  
aut adeo delicto aequalem, si eodem facto, quo poena irrigatur,  
alia ratione, omissa poena, et alterius conatus amplius caeden-  
di impediatur et reliqui deterreantur. Verum enim vero nolu-  
mus hic poenarum praecepta tradere, sed potius insistamus quaे-  
stioni, quale medium sufficiens excogitari possit, ad malignita-  
tis coercionem. Quodsi igitur hoc in societate ciuiili maxime  
necessarium est, eodem modo, quo finis obtinetur, simul alia  
ratione reipublicae saluti consulamus.

¶. XII. Atque ego quidem nullum medium ad coercendos huiusce  
generis malevolos, et ad obtinendam securitatem publicam magis  
aptum idoneumque puto, quam carceres et quidem perpetuo.

IX

Cor-

Carceribus locum dandum esse prius demonstrabimus, et quidem  
 ex ipsa huius delicti natura atque indele. Delictum scilicet, de  
 quo nobis oratio est, tam ortum, quam perpetratum est, ex  
 vitae humanae taedio, ut meliorem, ex peruersa nempe opini-  
 one, moriatur mortem delinquens, qui satius duxit interfici,  
 ad mortem condemnatus, quam propria dicam esse. Mortem  
 suam igitur ut summum bonum sibi cogitat, ad quod obtinen-  
 dum frigidas manus innocentis sanguine cruentat, vitae suae per-  
 taeus omni, qua ipsi par est, animi tranquillitate exspectat finis  
 obtentionem. Quem itaque si velis ad mortem condemnare,  
 ipsius illius boni participem facturus es; ita, ut multum abe-  
 set, ut haec mors tamquam poenae malum cogitaretur, ut potius  
 beneficia tua in illum cumulare videreris. Est quidem haec  
 mortis illatio in spectatorum oculis malum, quod accidere potest,  
 maximum, usque dum rationes vitae suae contempnendae desint;  
 his vero existentibus, quilibet ante defensatam mortis condemna-  
 tionem summa voluptate acceptabit. Cae igitur, ut beneficia  
 in illum conferas, qui illis indignus, alios ad eadem, quibus ipse  
 deliquerit, inimicari potest.



§.

XIII.

quae grauissima est, ob atrocissimum delictum. C  
 Sin autem punire eiusmodi delinquentem velis ac debeas,  
 quaeras, amabo, grauiorem poenam, quam quae est condemnatio  
 delinquentis ad vitam, multo deteriorem et tristiorem, quam  
 ante perpetratum homicidium vixit; credo fortasse ex mente de-  
 linquentis vitam continuare ipsi esse summum malum, cuius  
 effugiendi gratia alterum innocentem occidit. Reete igitur ad vitam  
 condemnatio ipsi grauissima poena erit, idealis scil. (sec. § 6) et  
 hoc sufficit ad puniendum eum, qui atrocissimo modo deliquerit.  
 Attamen, ut omnis ambiguitas eviteretur, et dubia, quae forsitan  
 moueri possint, declinentur, cogites velim, homicidium istud  
 ceteris periculorum tanquam medium ad illicitum finem, ex quo  
 sequitur, ut ad destruendum finem hunc, media solummodo  
 eripiantur et ad auertendum imminens periculum salutaria adhi-  
 beantur. Satisfactum igitur erit saluti reipublicae, simulque  
 delinquens eodem grauissimo malo afficitur, a quo se liberandum  
 curauit. In illo tamen nonnulli offendere poterunt, quod haec  
 ad vitam condemnatio intuitu reliquorum non poena exemplaris  
 sensenda sit; sed hoc non curamus. Quid enim? poena in

exem-

21

exemplum solummodo iis statuitur, qui eodem delicto & aliquando maculare volunt, qui eundem finem per alterius interficiendum obtainere audent, iam vero si impossibilis sit horum periculosisssimorum mediorum usus, cessante nempe effectu, non existet maleuolus, qui amplius in aliorum vitam inuadat, et optime actum erit de salute publica.

§. XIV.

*Quod explicatur regulis iustitiae.*

Quodsi etiam ex alio fundamento, quam ex relatione mediis ad finem, punire volueris vitae suae pertaesum homicidam, et potius iustitiae regulis inhaereas, quae in iustitia distributiva, ut artis periti loqui solent, fundarae esse dicuntur, credo omnino inter carceris poenam et huiusmodi delictum omnem adesse proportionem. Ex mente enim tua atrocissimum delictum grauiissima poena coercendum est; iam vero, quaenam poena grauior esse potest, quam vitam viuere, cuius taedium omnem humanitatem exuendi occasionem praebuit? miseriam pati, ad quam effugiemad, nec religio, nec humanitas, nec pietas satis esse potuerunt? Quin imo, si poenarum sapientiam desideras, quis sapientior in puniendo erit, quam is, qui simul gladium e maleuolorum manibus extorquet, quo una cum

C 3

aliis

aliis se ipos destruant. In eo autem maxima cernitur iustitia, quod beneficiendo tum delinquenti, tum cereris omnibus consularunt; non enim iustus semper stricto gladio incedit, sed mox mala infert bonis, mox bona malis hominibus, prout scilicet mediorum usus ad optimum finem obtainendum iuber.

§. XV.

*Carceres perpetui esse debent, ob periculi perdurationem.*

Neque vero ad omnis generis carceres condennatio aequales effectus habebit, nec habere potest. Diuersi scil. possunt esse carceres, tum pro diuersitate temporis, s. ratione duracionis, tum pro diuersa qualitate. Quoad prius diuisionis fundamentum sunt vel perpetui, vel temporarii. Iam quaeritur, ad quosnam condemnandus sit talis homicida? et ego credo, nullos alias admitti posse, nisi perpetuos. Is enim vitam magis fugit, quam aliis vitae cupidus mortem, et ex carceribus dimissus, non emendatos mores allaturus creditur, sed potius eodem modo, ac antea in alios seque ipsum saeuire perget; non enim proprie ab incarceratione hi effectus desiderantur in homicida, qui ab alia poena temporaria expectari solent, quia emendationis incapax est is, quem viuere taeder. Neque etiam

ob aliorum salutem plenamque securitatem, quam postulant, di-  
mittendus est, a quo quilibet mortem adhuc timere potest, quod  
in alios delinquentes non pari ratione cadit.

## §. XVI.

*Ob delicti atrocitatem.*

Deinde etiam necesse est, ut carceres perpetui sint, quia  
iam antea edoctum est, grauissimam excogitari debere poe-  
nam, qualis est condemnatio vitae pertaezi ad vitam, cuius exi-  
tum ipse non videt. Cum vero etiam simul in aliorum exem-  
plum condemnatur, nunquam committat iudex, ut aliqui sint,  
qui ex poenarum termino finali, mortis nempe condemna-  
tione, rationes desumant, eodem modo delinquendi, quod pro-  
hiberi optimus quisque postulat. Neque etiam intelligi potest  
ea ex carceribus liberatio, qua dimittitur, ut iterum societatem  
ciuilium ingredi possit, absurdâ forer haec opinio; sed mens  
est, ne post aliquot annos, carceribus usque eo inclusus, mor-  
te afficiatur; hoc enim nihil aliud esset, quam beneficiis termi-  
nare vitam, quae ob inhumanitatem delinquentis, ob exem-  
plum, ob aliorum securitatem, ob maleuolorum deterritionem,  
aeterna, si posset, esse deberet. Non itaque iudex aliquis exi-

stere

ster debet, qui medium aliquod tenere velit, aut duplice modo  
puniri credat, si per aliquos annos ad miserissimam vitam delin-  
quens condemnetur, et postea interficiatur.

## §. XVII.

*De qualitate carcerum.*

Quod denique qualitatem carcerum attinet, ad quos ho-  
mida condamnatus est, euidem credo, nullam generalem  
regulam hic constitui posse, sed potius ex vitae conditione,  
cuius taedio commotus delinquens delictum perpetrauit, hoc  
aestimandum esse. Ex quo sequitur, ut 1) quo deterior vita  
conditio fuit, cuius delinquens taedio afficiebatur, eo deteriores  
carceres futuri sint, 2) quo maius taedium hoc fuit, eo magis  
curare debet, ut causae taedii perdurent, quantum fieri potest.  
Melius autem haec omnia ex qualitate personae, ex diuersitate  
circumstantiarum, aliarumque rerum diiudicare debet Iudex,  
quod facile fieri potest, si modo velit, ista, quae generaliter  
a nobis proposita sunt, ad casus singulares diligenter et caute  
applicare.

## §. XVIII.

*De modo puniendi delinquentem.*

Neque vero hoc probare possumus, quod omnes eae poenae, quae in aliorum exemplum statuuntur, quod tamen potissimum publicarum poenarum ratio est, unico, ut ita dicam, illa afficiantur, postea vero omnium obliuioni tradantur. Nam, quod praesens est oculis, metuere derestarique solemus, et anxie uitamus, ne causae malorum illorum in nobis ipsis deprehendantur. Quapropter persuasum mihi est, optime de salute et securitate publica, non quoad hoc solummodo delictorum genus, sed etiam quoad cetera agi videri, si delinquentes, licet non quotidie, nec statim temporibus, tamen extraordinariis diebus, quibus singularis debetur ciuium attentio, in publicum protrahantur et praeclecta, sub motu publico, delicti ratione & specie facti et sententia condemnatoria, iterum, pro qualitate nempe delicti, poena aliqua publica afficiantur. Ex quo fundamento, non reste ii facere videntur, qui omnem spectatorem a spectaculo prohibent, cuius spectandi cupiditatem magis humanae, quam rerum nouarum et extraordiniarum curae atque auditati adscribendam esse putare; et falsum est, quod putent

D

qui-

quidam, poenam effecta suo desitui, si plures adsint, qui constantem et intrepidum moribundi animum testentur. Credo equidem, istos viros, quod pace illorum dictum sit, alterum extremum vitantes in alterum esse derrusos; magis potius nocet clandestinitas poenae, quam intrepidi morientis adspectus. Ut autem ambo nocua evitentur, aut, si hoc non omnimode fieri possit, alia poenarum ratio invenienda est, qualem esse antea a nobis traditam certissime credo.

§. XIX.

*Quinam ex vitae taedio delinquens habendus sit.*

Iam vero oritur quaestio, quinam delinquentes pro talibus habendi condemnandique sint? et ego distinctius hoc tractandum esse, censeo. Primum igitur est, quod cauere omnis iudex debet, ne propriam confessionem, ex vitae taedio commissum esse homicidium, ut sufficientem rationem accipiat ad huius generis condemnationem. Si enim carcerum poena in tali homicidio legibus criminalibus dictatur, homicida aut vere vitae sua pertaens alterum interfecit, aut non. Priori in casu, leges criminales non ignorans, nunquam confitebitur, se ex vita taedio


delin-

desiquisse, quia finem suum non consequeretur; posteriori vero in casu, homicida semper simulare studebit taedium vitae: Si illud, non opus est, ut regulae iudicii praescribantur, si vero hoc, caute procedendum est. Neque ego dubito, quin ex facti circumstantiis et ex vita ante facta facili modo hoc determinari possit ac debeat. Non enim necesse est, ut hucusque fieri solebat, ut delinquens ex vita taedio, se ipsum in iudicis manus tradat et causam delicti ipse confiteatur, alia potius cognoscendi media adsum, qualia sunt, vitae conditio, fortuna adversa, temporum calamitas, et quae sunt huius generis. Hoc itaque diligenter dijudicare, iudicis arbitrio relictum esse debet, qui iam alias in ceteris delictis cognoscit, licet non de qualibet circumstantiae diversitate leges existent.

#### §. XX.

*Quaenam denique poena in dubio statuenda sit.*

Quodsi vero dubium est, qualis homicidii caussa adsit, ardua res est, determinare, qualis poena in dubio admittenda sit. Duplici ratione consulendum est publicae saluti, tum ut homicida e medio tollatur, ne in posterum noceat: tum ut re-



liqui deterreantur a committendo simili delicto; hanc ob causam  
melius est, ad securitatem publicam promouendam, ut poena  
mortis consueta afficiatur. Si enim ob rem dubiam ad carcerae  
illum condemnare velles, efficeres potius, ut vnicus tandem  
modo finis obtineretur, qui est, ne amplius a delinquente res-  
publica turberetur, sed deest alter, ut deterreantur, ad quod  
numquam carcerum poena sufficiet, quae, tamquam multo mi-  
nus malum, quam mors, cogitationem quoque relinquit, ali-  
quando e carceribus sperandam esse dimissionem, aut per fugam  
se saluaturum esse; neque etiam deerunt, qui ita fraudulenter  
agant, ut dubia res fiat iudicii, quo mortis poenam effugiant.  
Ut itaque veterque poenarum finis valeat, mortis poena  
potius dictitanda erit reo.

F I N I S.

GENE-

GENEROSSIIMO ATQVE DOCTISSIMO  
RESPONDENTI  
BERNARD. THEOPH. AB ENCKEVORT

S. D.

PRAESES.

*Quod tu Parenti Optimo, Praeceptoribus, Committonibus atque Amicis, toti denique litterarum orbi offerre voluisti munus, eo gratius acceptiusque est, quo maiora a te, VIR GENEROSSIIME, optimus quisque expectat. Laudes tuas, excellentesque ingenii virtutes, quas in te, inde a quo te noueram, mirari solebam, celebrare aut amplificare nolo; notae sunt omnibus, quibus te cum hucusque versari contigit; id tamen praetermittere non possum, ut tibi ex animo gratulerem de profectibus istis eminentissimis, quos iam in grauioribus studiis, quae inferiora subsellia fugiunt, cum omnium laude fecisti; ut gratuler Optimo Parenti, pie summoque cum studio Colendo, de filio, quem*

D 3

ipsae

ipsae Musae finxit et in sinu souere videntur, nato factoque ad  
artes, non eas solum, quae ab humanitate dulce nomen acceperunt,  
sed etiam, quae frontem solent obnubilare; ut gratuler denique  
Commititonibus et mihi de amico, omni studio in aeternum persequen-  
do. Ornare voluisti generosissimam gentem TVAM elaboranda de-  
fendendaque disputatione, quae non tritas opiniones, centies dictas,  
redolet, sed potius materiam tractat, toti generi humano, imprimis  
vero societati civili saluberrimam. Fecisti itaque, in quo maxima  
cerni debet prudentia atque virtus, et ita TE praelestisti, qualem  
potissimum in posterum TE exspectant ciues. Quod reliquum est,  
TVO amore atque benevolentiae commendatissimum me habens, rogo.

Dabam Halae d. XXX. Oct. MDCCCLXXII.

VIRO  
GENE



81

AVT ALIO VIRO GENEROSISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO RESPONDENTI  
AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

ERNST GOTTLIEB DALLMER.

Si quid mibi vñquam illa in consuetudine, quae mibi te cum per  
annis, et quod excurrerit, spatium, contigit, laetum atque iucundum,  
hoc sane fuit, quod te in eo nunc esse videamus, ut propediem  
primum Specimen diligentiae TVAE editurus, idemque contra Docti-  
fimorum Virorum dubia e cathedra Academia defensurus sis. Neque  
vero consuetudine quadam aut' pruritu scribendi factum est, ut basce  
litteras TVAE eruditissimae dissertationi annexas esse velim, sed quia  
non potui non, quin TIBI incredibilem meam laetitiam, quam ex  
TVA laudabili vitae studiorumque ratione capio, publice TIBI signi-  
ficem. At TVA humanitas atque modestia, quae omnibus innotuit,

me

me probinent, quoniam tuas laudes TVAS etiarem, tunc eruditio TVA  
morumque elegantia, quae TE ornant, uberrimam mibi dicendi ma-  
teriam praebent.

Accipe itaque tantum queso, candidam meam gratulationem.

Gratulor TIBI ex animo, non tatum de Specimine hocce eruditionis  
TVAE, quod editurus es, sed etiam quod magis est, de reliquis  
TVis Virtutibus, quibus inter multos conspicuus es. Persequere,

quam ingressus es viam, quippe quae ad virtutis templum optimum  
quemque dicit; ita aliquando spem, quam de TE concepimus, a  
te non solum impletam, sed et proorsus exsuperatam esse, videbimus.  
Incomparabilis te, gratulor quoque Viro Perillustri, Patri TVO optimo, Fautori meo  
ingenii, qui gloriam a Maioribus acceptam, non solum tuebitur sed  
etiam augere et amplificare studiet optime. Vale carissime, et,  
nisi te adhuc amorem mibi significasti, eundem mibi conserua. Da-  
nam Halae d. XXX. Octobris. MDGCLXXII.

Antonii Iulianus amic... AVT

ULB Halle  
002 169 592

3



sb





B.I.G.

Black

DE  
**HOMICIDIO EX VITAE TAEDIO**

AD

OPPETENDAM MORTEM COMMISSO  
NON MORTIS POENA  
SED PERPETVIS CARCERIBVS PVNIENDO  
BREVIS COMMENTATIO.

QVAM  
AVCTORITATE

EXCELLENTISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
P R A E S I D E  
**JOAN. MELCH. GOTTLIEB BESEKE**

I V R. V T R. AC PHILOSPH. DOCTORE

E T REG. SOC. VIADR. SODALI  
DIE XXXI. OCTOBR. MDCCCLXXII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

A V C T O R  
**BERNARDVS THEOPH. AB ENCKEVORT**

E Q V E S - P O M E R A N V S.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
STANNO FRIDERICI AVGUSTI GRVNERTI.

